

D. D.
DISSERTATIONIS
DE
MAGNITUDE
ROMANA,
PER
IMPRUDENTIAM
VICINORUM
PROMOTA,
PARS POSTERIOR,

QUAM,
*Suffragante Ampliff. Facult. Philos. in Regia ad Au-
ram Academia,*

PRÆSIDE
HENRICO HASSEL,

ELOQUENT. PROF. REG. & ORD.

PRO GRADU

Publice Defendet

PETRUS JUSLEEN, Petri Fil.

ABOÆ-FENNO.

DIE XIII. Julii ANNI MDCCLVII.

L. H. Q. A. M. S.

ABOÆ, impressit Direct. & Typogr. Reg. Mag. Duc. Finland.
JACOB MERCKELL.

Ed. Direct. J. C.

VIRO Generosissimo,

**DOMINO JOHANNI G.
JUSLEEN,**
JUDICI PROVINCIALI Meritissimo,
Patruo ad cincteres usque colendo.

VIRO Plurimum Reverendo atque Praclarissimo,

**D_N. MAG. GUSTAVO
JUSLENIO,**
Pastori in Cronoby Vigilantissimo,
Patruo omni honore ætatem prosequendo.

NON una mihi adest ratio, cur Vobis, Generosissi-
has qualescunque pagellas offerre & consecrare
consanguinitatis vinculum Vos, Patruum atque Avun-
modis obstrictam reddidistis. In me sigillatim, qua
gularis documenta certissima, majora amplioraque sunt,
cere possit. Praestat itaque eadem pia memoria
re, quam jejune celebrando id mihi sumere,
linquendum est. Praesentem interea opellam, levem
melius curta eruditionis meae suppellex praestare non pot-

VIRO Nobilissimo,

**DOMINO ERICO JOH.
PALEEN,**

SECRETARIO REGIO Inclyto,
Avunculo summa veneratione suspiciendo.

VIRO Consultissimo,

**DN. FRIDERICO
PALEEN,**

Judici Territoriali Vicario Aequissimo,
Avunculo optimo.

*mi, Plurimum Reverendi, atque Consultissimi Viri,
ausus fui. Etenim, quum paterna domui arclissimum
culi Optimi, conjunxerit, Vobis hanc totam pluribus
exflare voluistis favoris & benignitatis prorsus sin-
quam ut iis rite predicandis, tenuis mea musa suffi-
menteque devotissima gratissimaeque revolve-
quod feliciori suade venaeque ingenii benigniori re-
illam quidem & rudi minerva congestam, sed qua
uit, in pignus nunquam intermoriturae veneratio-
nis,*

uis connata Vobis facilitate suscipite. Quod reliquum est, Summum Numen ardentissimis precibus fatigare nunquam desistam, dignetur Vos, Viri Venerandi atque Aestumatissimi, plures per annos, & si optare fas esset, ultra communes mortalitatis terminos, salvos, sospites & incolumes servare. Vigeat igitur diu! Vigeat inquam, omnibus bonis abunde cumulati, donec fragili hac statione relicta, vitam ingressuri eritis gloriosam!

GENEROSISSIMORUM, PLURIMUM REVERENDORUM atque CONSULTISSIMORUM NOMINUM VESTRORUM

*cultor humillimus &
observantissimus*
PETRUS JUSLEEN.



§. XIII.



Ost Carthaginem deletam, tantæ erant imperii Romani vires, ut ad illas coërcendas major quædam plurium populorum atque constantior unio requireretur, quam quæ per conditionem rerum humanarum facile sperari posset. Nec enim armis tantum valebant Romani, sed mille callebant artes, quibus dissociarentur gentes, & si quæ esset earum conjunctio, solveretur. Hoc itaque quum innumeris constaret experimentis, omnes, quibus ulla libertatis erat cura, aut ad se uniendum, & quantum communis id exigebat necessitas, in unione permanendum extremos conatus expromere debuissent, aut, si id non succederet, singuli vel pauciores, viribus impares, ne bellandi avidos iritan-

ritando, quod alioquin tardius ingruisset, properarent fatum, sibi cauturi fuissent. Contrarium autem factum fuisse, ipsa Historiæ series ostendit; quamobrem, quum diversis tantum personis eadem acta fuerit fabula, ne prolixiori expositione tædium legentibus pariamus, summa rerum capita, qua fieri potest brevitate complecti studebimus.

§. XIV.

A rebus Numidicis faciemus initium. Micipsa Numidiæ rex insignem commisit errorem, quum morti vicinus Jugurtham fratris Manastabalis filium ex concubina genitum una cum suis filiis Adherbale & Hiempsale heredem constitueret, & quidem ea lege, ut regnum communiter possiderent & administrarent. Societas imperii inter duos lubrica admodum & raro auspicata esse solet, si vero tres inter concors ac diuturna persisteret, id miraculi instar foret. Accedebat, quod Principum coheredum ætas immatura, annis & experientia robusto inferendæ injuriæ commodam dabat occasionem, quam non neglecturum fore Jugurtham, ingenium ejus excellens & excellendi cupidum, Micipsæ dudum suspectum persuadere debuisset.

Nec minus imprudenter egit Jugurtha, quum Hiempsale primum per insidias interfici curaret, mox Adherbalem armis adgrederetur, & spretis, quæ Romani iterabant, dissidii componendi tamentis, sibi traditum occideret. Quod hoc facto grave a Romanis bellum sibi concitaturus esset, tam

tam certus esse potuit, quam de eo, quod suis manibus tenebat. Quomodo enim elatus hic populus, qui Principes gentesque omnes sibi obsequium debere credebat, hunc sui contemptum inultum relinqueret? Sed, qua ratione tantam tempestatem exciperet ac sustineret? Quæ illius erant vires, cum Romanis comparatæ? Si Carthagini, multum validiori id fatum erat subeundum, quid ipse exspectaret? Ast confidebat auro, quo se Romanos expugnaturum fore sperabat; neque paucos enim eorum, & quidem ipsos principes sacra illius famæ tum ita invaserat, ut majus eidem quam justo & honesto pretium statuerent. Quamobrem audax adeo spes non omnino fallebat Jugurtham, saltem ad tempus. Nam, bello sibi illato, Calpurnium Consulem, & Scaurum illius Legatum ingenti mercede eo adduxit, ut inconsulto Senatu ac populo, pacem facerent Romanis ignominiosam. Quod, quum auctoribus multum invidiæ conflasset, magnis hac de re motibus in urbe excitatis, Jugurtha Romam vocatus solitis sibi artibus ita est usus, ut novis ibi sceleribus patris, salvus tamen inde egressus, referente Sallustio, dixerit: “ Urbem venalem & mature perituram si emptorem invenerit “ Verum hæc felicitas ipsi minus erat diuturna. Nam pax vitiose data rescindebatur; qui se Jugurthæ vendidisse convicti fuerant, damnabantur, atque bello mox præficietur Metellus, cui deinde successit Marius, utrique corruptelis inexpugnabiles, a quibus variis præliis victus Jugurtha, & tandem a

Boccho Mauritaniæ Rege, socio, proditus ac Syllæ traditus, deinde in triumpho ductus, & tandem carceri inclusus, miserum habuit vitæ finem. Sic temeritatem ac stultitiam luit Numidiæ Rex. Quomodo enim fieri potuisset, ut Senatus populique Romani partem majorem corrumperet? Aut quæ opes ad hoc sufficerent? Si quidam civium pravis artibus oportuni obveniebant, nec defuerunt adhuc ex utroque ordine alii, & quidem plures, qui animos gerebant adversus illas obstructos. Præterea, tantum isto tempore inter nobiles & plebem intervenerat odium, ut ab utraque parte non alio acriori stimulo ad infectandum crimina excitarentur, quam quod rei diversæ essent factionis. Proinde, quum mercenarii Jugurthæ ex nobilitate fuerint, quotquot teneri poterant, in eos inflexibilis mansit plebis pertinacia, ad terrorem animi incutiendum validum satis momentum. Sic vana ac lusoria fuit spes Duces exercitus continuo successu mercandi; quot enim essent futuri, qui lucrum tanto cum famæ salutisq; periculo conjunctum alteri longe uberiori, gloriose & secure ex victoria capiendo præponerent?

§. XV.

EXcipiunt jam bella Mithridatica, quæ tria numero erant, quamvis ob arctum, quod singula intercessit, temporis intervallum, ut unum fere continuam spectari queant. Occasionem illis præ-

præbuerunt Ariobarzanes Cappadociæ, & Nicomedes Bithyniæ Principes, quos, a Mithridate Ponti Rege regnis exutos, restituendos decrevit Senatus Romanus. Vera causa Mithridati erat, suas augendi res, & Romanas coercendi ardens cupido. Inveterata imperium amplificandi cupiditas, quaslibet Regum populorumque controversias in suum lucrum convertere sueta stimulabat Romanos. Hæc bella eam habebant successum, ut, quum aliquando Regi, plerumque autem Romanis fortuna favisset, cum illius tandem exitio terminarentur.

Nobis jam videndum est, an id imprudentiæ Mithridatis tribuendum sit, nec ne. Non certe deerant rationes, quæ Regem ad bellum contra Romanos suscipiendum invitarent. Animo & corpore admodum erat validus. Utriusque robur inde ab ineunte ætate continuis iisdemque durissimis exercitationibus firmaverat auxeratque, ingenium asperioribus natum ipsa extimulante necessitate. Quum enim tutorum insidiis undique peteretur, ut illas evitaret, cupidinem venandi caussatus, aliquot annis per sylvas & montes vagabatur. Deinde regno admotus, cum Scythis aliisque populis Ponti Euxini accolis belligerabat, totamque illam plagam ad Bosphorum usque Paludemque Mæotida subigebat. Sic propagando imperii fines, ejusque vires augendo experientiam rei militaris paraverat. Exercitum habebat numerosissimum, bello cum ferocissimis gentibus gesto exercitatum duratumque.

Classis aderat maxima, Phœnicibus atque Ægyptiis peritissimos nauticos subministrantibus. Commeatus & omnis apparatus belli affatim in promptu erant. Fœderatos sibi quam plurimos adjunxerat; præter Tigranem nempe Armeniæ Regem, Scythas, Bastarnas, Gallogræcos, Parthos, Medos, Iberos aliosque, ut dicente Justino, “omnem Orientem contra Romanos armaverit.” Præterea, tum Roma intestinis discordiis laborabat. In ipsis Italiæ visceribus ardebat bellum Sociale. Accedebat, quod Asia & Græcia partim subactæ, partim sub umbra libertatis servientes, occasionem spectarent, qua jugum servitutis excutere liceret. Verum, hæc omnia, quanta demumcunque visa fuerint, magna tamen parte plus habebant speciosi quam solidi. Quod exercitum attinet, præter militem armis adæuetum, incondita auxiliarium copiarum turba, numero quidem multum, sed viribus parum addebat. Neque miles veteranus Ponticus, cum Romano magis erat comparandus, quam experientia rei militaris aliquot bellis parta, cum ea, tot seculis continuo armorum usu aucta & consummata. Quid de classe judicandum sit, inde constare potest, quod præriorum navalium exitus isto tempore ex militum præstantia potissimum penderet. Fœderatorum inexperta erat fides, & quæ Asiaticorum Orientaliumque levitas esset, non potuit latere. Internis Romanorum dissidiis eo minus confidere oportebat, quo pluribus exploratum erat documentis, necessitatem extra urgentem contra mala

la intrinseca validissimum Romæ fuisse remedium. Belli Socialis respectus vel ideo ut anceps & dubius æstimandus fuisset, quia quodocunque liberet Romanis, cum Latinis pacem recuperare in expedito erat, modo quod illi flagitabant, jus civitatis concederent, beneficium, ad quod conferendum Romulus & prima ejus progenies tam faciles fuerant. Illud vero de motibus apud gentes jugi Romani pertasas exituris præfagium, non erat vanum, ut ipse docuit eventus. Victo enim Aquilio, tota fere Asia & major pars Græciæ, facta a Romanis defectione, Regi se adjunxerunt. Odium quoque impotentis domini præcipua fuit causa, cur tot millia civium Rom. ex mandato Mithridatis, uno die trucidarent Asiatici. Neque leve ad conciliandos animos momentum erat humanitas illa singularis ac liberalitas eximia, qua initio utebatur; unde factum, ut Legati certatim advenirent cum civitatum decretis, quibus eum ad se vocabant, deum & servatorem vocantes. Verum, non ita multo post cum moribus mutavit fortunam, quum immani crudelitate efficeret, ut, qua ipsum tot populi receperant, eadem facilitate defererent. Hæc igitur imprudentia, vel cœcitas potius ac furor rebus Principis hujus plurimum nocuit, præsertim quum ad alienandos ab illo cæteros fœderatos nec parum valeret. Quantum viribus esset inferior, tum maxime patebat, quando bis tantum, ad Cheroneam nempe primum, deinde ad Orchomenum victus, pacem suppliciter petere

tere cogebatur. Quod si decies vel sæpius adverso Marte pugnassent Romani, ne verbum quidem de pace prolaturi fuissent.

Postquam tale virium experimentum fecerat Ponti Rex, dispiciendum jam venit, quibus rationibus adductus eandem hanc aleam denuo tentaverit. Tertium intelligimus bellum Mithridaticum; nam secundum exigui temporis ac operis erat, lusus potius quam bellum. Quod ipse hoc incendium excitaverit, res est manifesta. Quum enim Bithyniam testamento Nicomedis tum mortui Romanis attributam invaderet, perinde erat, ac si bellum illis clarigasset. Novæ autem spei hæc præcipua erant fulcra: Exercitum quem sibi comparaverat maximum, non ad factum & speciem inanem ut antea, ornavit, sed armis validis, qualia Romanis in usu erant, instruxit. Classem pariter, multarum admodum navium, omni vano apparatu resecto, more Romano armavit. Auxilia Chalybes, Scythæ, Armenii, Bastarnæ ac Thraces miserant. Reliqua belli necessaria abunde suppetebant. Cum Sertorio etiam, qui reliquias partium Marianarum in Hispania tuebatur, fœdus pepigit; factiones denique ac dissidia adhuc Romanam vexabant. Hæc autem tanti fuerint, ut eum commovere debuissent ad negotium adgrediendum, si res præter opinionem caderet, in extremam perniciem desitutum, jure quæritur. Quod enim hoc in casu nulla superesset spes salutis, facile prævidere potuisset. In eo
qui-

quidem recte ac provide egit, quod in exercitu ac classe armandis, relictis inanibus, solidiora festari cœpit; ast, si cum armatura Romana animos quoque Romanos suis dare potuisset, tum vero operæ pretium fecisset. Tanta autem metamorphosis plus operæ ac temporis requirebat. Proinde, quum gladiis Romanis clypeisque asiatica adhuc pectora plerumque manerent sociata, alius rerum successus frustra exspectabatur. Nec meliora promittebant milites auxiliares iisdem animis moribusque. Fœdus cum Sertorio ictum, ad Cappadociam tantum & Bithyniam a Mithridate retinendas spectabat, non autem ad aliquam præterea imperii diminutionem, ad quam exul ille magnanimus vel se tantillum conferre velle negabat aperte; quod ad vasta regis destinata parum omnino respondebat. Quod denique internas Romanorum discordias attinebat, neque inde multum affulgebat spei. Optimates enim tum Romæ prævalebant, fracta Mariana factione, cujus reliquiæ cum Sertorio patria extorres minus formidabiles erant. Neque bellum Sociale inter initia Mithridatici feliciter confectum, neque deinde civile inter Syllam & Marium, Cinnanique motus obstare poterant, quominus arma Romana adversus regem valerent. Quamobrem, quum tertium hoc adgrederetur, non valentioribus nixus rationibus, quam quibus ad primum inchoandum adductus fuerat, haud mirum, si neque successu feliciori uteretur. Quoties cum Lucullo & Pompejo con-

fluxit, inferior discessit. Quod Triarium semel superavit, id hujus imperitiæ est tribuendum. Tandem a sociis destitutus, (Tigranes nempe ob rebellionem a filio motam, suppetias venire non poterat, neque alii succurrebant fœderati,) pace a Pompejo frustra petita, desperatum cepit consilium, Pontum Euxinum & Paludem Mæotida circumeundi, atque sic in Italiam penetrandi, ibi ut Hannibal olim adversus Romanos bellaturus. Quod quum emanasset, omnis ab eo defecit exercitus, quare malis, quibus alium non reperit, voluntaria morte finem imposuit. Ut res eo deveniret, multum contulit immanis crudelitas, a qua ut desisteret, tantum abfuit, ut acceptis inde damnis admoneretur, ut augeſcentibus adversis, magis magisque illam exasperaret, & in suam ipsius domum converteret. Conjuges namque, sorores, duosque filios occidi jusserat, unde præcipue, qui superstes erat Pharnaces, regni successor destinatus, quum sibi metueret, ad eam, quam dixi, seditionem excitandam compellebatur. Sic Bosphorus Pharnaci in auctoramentum parricidii cessit; reliquum Mithridatis regnum in formam provinciæ redactum aderevit Romano imperio, quod Syria, pariter pluresque aliæ regiones amplissimæ, a Pompejo occupatæ, grandi accessione auxerunt. Hoc addimus, quod de viribus Mithridatis, ex longinquitate temporis, quò gesta sunt hæc bella, non sit judicandum; ab initio quippe primi, ad finem tertii belli XL anni intercedebant. Diuturnior hæc mo-

ra aliis ex caussis est repetenda. Quod pacem Sylla concessit, quæ non omnem novi belli cogitationem Mithridati exemit, inde factum, quia ad frangendos domi adversarios properabat. Neque Lucullo multum defuit ad bellum finiendum, quum exorta in exercitu seditio plenam ipsi victoriam, ejusque fructum intercepit.

§. XVI.

DEVENIMUS jam ad bellum Gallicum, multitudine hostium & ferocia, numero præliorum, & ipsa Ducis excellentia, cujus stupenda prorsus hic obveniunt documenta, admodum memorabile. Quod autem cæteris Romanorum vicinis, nihil prudentiores fuerint Galli, res ipsa loquitur. Vel enim singuli populi bellum gerebant, vel pauciores uniti, quam qui tantam potentiam sustinere valerent. Primi se offerebant Helvetii, reliquos Gallos ipso Cæsare teste, virtute præcedentes, qui quum Orgetorigis, primarii apud eos civis suafu & auctoritate, propriis laribus relictis, ac opidis vicisque, cum frumento ad iter non necessario, exustis, ne quæ spes domum redeundi superesset, post transitum sibi per provinciam Rom. negatum, vicinorum, imprimis vero Æduorum, Ambarrorum, & Allobrogorum agros depopularentur vastarentque, horum precibus, vel sua potius cupiditate permotus Cæsar, qui Galliæ Rom. tum præerat, bellum Helvetiis indixit, eosque levibus

primum certaminibus fufos, mox ad Bibracte Æduorum opidum tanta clade adfecit, ut diflipati omnes, in fines fuos, unde erant profecti, reverti cogerentur. His Arioviftus Germanorum rex fucceffit, de quo, quum fuo loco dicturi erimus, hic nihil addimus. Post eum Belgæ, populi & potentia & eximia fortitudine valde clari contra Romanos societatem inierunt. Aft, non diu hæc conjunctio manebat; sæpius fc. fufi fugatique, quum Ædui etiam Romanorum focii Bellovacorum fines populabundi effent ingreffi, copiæ hæ omnes difsolvebantur, ficque fingulos feorfim fubjugare facilius potuit Cæfar. Neque melior fortuna Venetis fuit, qui, vicinis quibusdam nationibus in societatem receptis, & viribus fuis nimis fidentes, cum Romanis certamen inire audebant. Finem bello pugna navalis fecit, qua Veneti fuperati, duris admodum conditionibus pacem obtinuerunt. Eodem tempore Q. Titurius Sabinus, Aulercos, Eburovices & Lexovios devicit, quorum hi Senatam fuum, quod auctor belli effe nollet, interfecerant. Quomodo Cæfar deinde partim ipfe, partim per legatos reliquos Galliæ populos fregerit, noftrum non eft percenfere. Inftituto fuffecerit dixiffe, quod, aliis alios laborantes quiete fpectantibus, idem facti ordo omnes percurrebat. Tandem, quum longa trifque experientia Galli didiciffent, quanto cum hofte rem haberent, & quam parum ufitata hucusque fibi ratione proficerent, confilium mutarunt, unitisque viribus libertatem contra oppreffio-

pressionem Romanorum tueri aggressi sunt. Primum igitur, quoniam in præsentia obsidibus cavere non possent, ne res efferretur, clam dato jure jurando sanxiverunt, ne quis communem causam desereret, dein vero, signo rebellionis a Carnutis, uti conventum erat, dato, ex omni parte milites confluebant, qui sæpius licet repulsi, tanto tamen ardore tantaque constantia pugnabant, quantam expectare Cæsar haud posset. Inprimis autem Vercingetorix, natione Arvernus, vir non minori consilio quam audacia, & cui belli summa delata erat, omni quo potuit modo Cæsarem vexavit. Immo Ædui quoque, antiqui illi populi Rom. amici partibus adversis accedere non dubitabant. Verum enimvero fero admodum hi populi sapiebant. Romani namque victricibus armis Galliam pervagati, tam firma jam potentia suæ fundamenta ibi locaverant, quæ convelli amplius ægerrime possent. Quod si vero ante, & dum tempus adhuc fuit, vires contra hostem adeo formidandum conjunxissent, melius utique libertati suæ consulissent. Præterea, in eo capitalem omnino errorem commisere, quod discordias prope continuas inter se agitabant, quas more suo alere & augere Romani non intermittebant. In duas vero præcipuas factiones totam Galliam fuisse divisam ex Cæsaris de bello Gall. commentario constat, quarum alterius principatum Ædui, alterius primum Arverni, mox Sequani, & deinde, quum Cæsar bella his locis gerere cœpit, Rhemi tenebant, qui de poten-

tatu vehementissime inter se contendebant, ut, quum domesticæ vires non sufficerent, ad externas etiam imprudentes recurrerent. Hinc quanta malorum seges provenerit, videre cuilibet in proclivi est. Et Arverni quidem, qui Ariovisti ac Germanorum contra Æduos auxilium imploraverant, quam stulte quamque imprudenter egissent, mature ipsi sentiebant, quum Princeps hic crudelem potius tyrannum & oppressorem, quam defensorem se gereret, donec a Cæsare victus fugatusque recipere se rursus in patriam cogeretur. Ex altera parte Ædui præsertim amicitiam Romanorum sectabantur, vanaque ejus umbra se misere decipi patiebantur. Tanti sc. erat splendidus ex hac societate titulus, ut jactura libertatis redimeretur. Potentiorum deinde exemplum debiliores populi sequebantur, seque mutuo intestinis bellis atterebant. Quid? quod in singulis quoque civitatibus, rixæ ac dissensiones civium, publicam salutem turbarent. Quæ omnia, ut lucro erant hostibus, ita in exitium Gallis vertebant, quos, viribus tali modo fractos, eo facilius Romana potentia debellavit.

§. XVII.

BRitanni quoque paucis commemorandi nobis sunt, quorum insulam primus Romanorum Jul. Cæsar, eodem, quo Galliam subegit tempore, cum exercitu ingressus est. Ast, judice Tacito in vita Agricolæ, “quamvis prospera pugna terruerit
inco-

incolas, ac litore potitus sit, hanc tamen terram " potest videri ostendisse posteris, non tradidisse." Post hunc T. Claudius cæterique Imperatores varia cum Britannis bella gesserunt, quorum longam seriem hic persequi supervacaneum foret, quum de populis his quid judicandum sit, ex superioribus satis colligi queat. Quam parum enim vires eorum etiam unitæ, ad resistendum Romanis sufficere potuissent, nemo certe est, qui non videat. Deprehendimus tamen nihilo minus, has quoque nationes unum eundemque cum reliquis gentibus tenorem servasse. Tacito namque teste contra eas nihil Romanis fuit utilius, quam quod in commune non confulebant. "Raro inquit, duabus tribus-
ve civitatibus ad propulsandum commune periculum consensus. Ita dum singuli pugnant, universi vincuntur." Neque discordiæ ac seditiones intestinæ, capitales illæ rerump. pestes a Britannia aberant. Deinde vero, quum hac ratione libertatem suam se defendere non posse intelligerent, "doctique ut ait Tacitus l. c. commune periculum concordia propulsandum", bellum universi simul sumserunt, ac primum Voadica, generis regii femina, mox Galgaco, viro nobili fortique ducibus, Romanis se opposuere. Sed aciem eorum Jul. Agricola, qui exercitui Romano in Britannia tum præerat, facile fugavit. Sæpius postea, at infelici semper successu jugum servitutis excutere tentarunt. Quasi vero satius non fuisset, semel victos quiescere, & Romanum sponte agnoscere
impe-

imperium, quam continuis rebellionibus nihil efficere, nisi ut novis quotidie calamitatibus semet exponerent, malorumque sic cumulum augerent.

§. XVIII.

Succedunt porro Germani, quibuscum multa & quidem gravia haud raro bella Romani gessere. Quod populi hi debiliores utique fuerint, quam qui arma Romana excipere possent, primo statim intuitu patet, praesertim quum non solum scientia militari longe essent inferiores, verum etiam continuis dissensionibus se mutuo dilacerarent. Ipsi, occasionem in Germaniam transeundi Romanis praebuerunt. Quum enim Ariovistus Svevorum rex a Sequanis Arvernisque in auxilium contra Aeduos vocatus, venisset in Galliam, ibique multa inique & crudeliter egisset, Galli opem Caesaris implorarunt, a quo victus Ariovistus in patriam cum ignominia reverti cogebatur; quo facto Caesar, ponte Rheno flumini imposito, Germaniam cum exercitu est ingressus. Neque melior successus Usipetibus Tencterisque fuit, qui agris suis a vicinis Svevis expulsi, sedem in Gallia figere tentarunt, quos etiam facile Caesar fugavit. Inter bella vero Germanica maxime est memorabile, quod imperante Augusto Arminius suscitavit, quodque sub Tiberio demum fuit extinctum. Hic videl. quem Vellejus Paterculus Hist. Rom. Lib. II.

c. 118. "manu fortem, sensu celerem, ultra bar-
 barum ingenio promptum" vocat, liberandæ patriæ
 ardore flagrans P. Quintil. Varum Prætorem Ro-
 manum, una cum tribus, quas secum habuit, le-
 gionibus in saltu Teutoburgiensi astu circumven-
 tum penitus adeo delevit, ut, qui nuntium tantæ
 cladis domum ferrent, paucissimi superessent. Sæ-
 pius deinde & acriter cum Romanis confligit,
 multaque adversus eos præclare gessit, felicior
 certe futurus, nisi discordia ac invidia fuisset im-
 peditus. Inter alios Segestes, teste Tacito Annal.
 l. c. 55. "consensu gentis in bellum tractus discors"
 manebat, auctis privatim odiis, quod Aminius fi-
 liam ejus alii pactam rapuerat: gener invisus"
 inimici soceri, quæque apud concordēs vincula ca-
 ritatis, incitamenta irarum apud infensos erant."
 Bellum quoque Arminius contra Maroboduum Sve-
 vorum regem gessit, quem regno expulit; paullo
 autem post, quum tyrannidem affectare cœpisset,
 dolo propinquorum cecidit. Et has quidem, qui-
 bus mutuo se vexabant Germani, discordias mo-
 re suo Romani aiebant, dissensionum rixarumque
 semina sequentibus etiam temporibus larga ubique
 manu spargentes; unde fieri aliter non potuit,
 quam ut hos, Germanis, qui errores erroribus
 cumulabant, tot modis superiores victoria co-
 mitaretur.

Progredimur ad Hispanos, quibus neque fortius neque diutius ulla gens libertatem suam contra Romanos propugnavit. Nam inde ab iis fere temporibus, quibus hi extra Italiam pedem ponere cœperunt, cum populis istis continua prope bella gesserunt, ingentes sæpius clades passi, donec tandem Augusti Imperatoris ætate, pacato per prudentiam hujus Principis orbe, etiam Hispaniæ incolæ Romanis subacti armis quieverunt. Causa autem, cur tamdiu hostem adeo potentem sustinere valuerint, potissima fuit singularis prorsus pertinacia, qua omnia prius experiri, quam libertati renuntiare malebant. Inter tot, quæ exstant hujus rei exempla, unum Numantinorum adduxisse suffecerit, qui per longum admodum temporis spatium, incredibili pene alacritate Romanis resistere, sæpiusque Duces & copias eorum haud spernendas fugarunt, quum tamen initio belli, ultra octo millia militum ipsis non essent. Ipse Scipio Æmilianus, quem excidium duarum clarissimarum urbium Carthaginis atque Numantiæ splendidis Africanæ & Numantini cognominibus ornavit, cunctando magis, quam sola vi civitatem hanc vincere tutius judicavit. Et tandem quum fame enecti dedere se cogebantur, permulti voluntariam mortem turpi

anteponentes servituti, vitam ipsi sibi ademerunt. Eadem hæc pertinacia effecit, ut Hispani artem militarem, qua Romani tantum excellebant, secundum instituta usumque illorum magis magisque perficerent, atque peritia hac tam care parta contra ipsos magistros dextre admodum uterentur. Quod si cæteræ nationes eadem egissent constantia, ad tantam certe magnitudinem res Romana non pervenisset. Taxandum tamen id in Hispanis etiam, quod nescio quo fascinati errore vires contra Romanos non conjunxerunt, sed separatim fere quilibet, prout ipsis videbatur, vel quiescebant, vel in armis erant.

Plures percensere populos supervacaneum duco, quum eosdem ubique errores deprehendere liceat. Atque totum, quaquam notus erat, orbem occupare potuissent Romani, si integris adhuc viribus, inveteratum nova acquirendi propositum urgere perseverassent. Verum intelligebant tandem, coercendum esse intra terminos imperium, quod sapiens erat Augusti consilium, a successoribus etiam observatum. Quare, qui sub M. Antonino vixit Appianus, narrat se vidisse Legatos in urbem venientes,

qui se suosque populares dederent, nec receptos ab Imperatore, quod inutiles viderentur.

§. XX.

Non incommodum videtur considerare, quam ista imperii magnitudo ad felicitatem Romanorum civilem relationem habuerit. Hæc primo intuitu tanta apparet, quantum erat ipsum imperium. Orbis divitiæ Romam tanquam in centrum confluerant; ipsa erat orbis domina, cui servire vicini populi honorificum putabant, furo societatis servitutis opprobrium tegente. Verum instrumenta luxuriæ ipsum quoque luxum comitem habebant. Atque tam publicis quam privatis in rebus tanta ubique magnificentia & splendor conspiciebatur, quantam neque ante neque post viderat mundus. Eodem, quo luxus invalescebat gradu, morum quoque corruptela genuina ejus filia increvit, illa malorum omnium & calamitatum mater fecundissima, quæ eo grassabatur liberius, dum, qui eam coerceret, aberat metus externus. Sic pravæ cupiditates licentia & exemplis armatæ,
in

in omne nefas erumpebant. Hinc etiam rependendum est, quod Principum ambitio, ab exteris in ipsos invicem conversa, post sanguinem civilem copiose effusum, non alium inveniret terminum, quam propriæ & publicæ libertatis exitium. Ne sic quidem finiebantur mala, neque finiri poterant, dum iidem eorum fontes manebant. Qui æmulis superstes rerum potiebatur Octavius Augustus, tantum mores mutavit, quantum securitatis suæ ratio efflagitabat, cui constanter asserendæ, quum imparem esse continuatam sævitiam intelligeret, ad clementiam & cæteras, quæ Principem maxime decent, virtutes ambitiose colendas se contulit, totus in id intentus, ut omnes cujuscunque demum conditionis ac ordinis causam haberent, cur in præsentis rerum statu adquiescerent. Sed hunc longa serie sequebantur alii, probra & flagella generis humani, monstra potius quam homines. Neque ostendi potest regnum, in quo tot mali Principes exstiterunt. Quantum calamitatis atque miseriæ in omnes inde cives redundaverit, satis explicari nequit. Multos nobiliorum Imperantis crudelitas tanquam fulmen percussit, cæteri eorum in continuo fortunæ vitæque discrimine versabantur. Qui potestate aliqua erant instructi, in alios omnem exercebant injustitiam, id-

que eo magis, quod innocentia Principi sæpe suspecta erat atque exosa. Violentia & fraus ubique grassabatur, & in multitudine legum, qua civitas laborabat, inane plerumque nomen erat justitia. Quum hæc esset civium conditio, quæ provincialium fors fuerit, facile judicari potest. In hos majori plerumque licentia utebantur Præsides, eosque expilabant adeo, ut plures quam divitem pauperes ingressi fuerant provinciam, hanc divites ipsi pauperrimam relinquerent. In auxilium quidem provincialium judicia repetundarum erant constituta; sed quorum severitatem experiebantur pauci, plures eam corruptelis vel aliis artibus eludebant. Quod Prætoribus horumque ministris superfuit, rapiebant Publicani, quorum avaritiam, cætera inter præsidia equestris quoque dignitas tutabatur. Quid multis? omni, qui excogitari potuit modo miserrimorum hominum succus exsugebatur & sanguis. Quomodo in vitam, corpus & pudicitiam provincialium sævitum fuerit, prætereo. Ut ad Imperatores revertar, interveniebant aliquando boni, aliquando si non boni, minus tamen mali, quod nisi factum fuisset, tamdiu neutiquam consistere potuisset imperium. Sub his quidem mitigabantur mala, quædam etiam tollebantur, multa nihilominus remanebant, præsertim moribus in-

hæren-

hærentia, quæ ipsa diuturnitate in naturam abi-
 verant, quibus ne adhiberetur necessaria medi-
 cinae acerbitas, lubrica, multisque periculis & in-
 fidiis exposita meliorum quoque Principum con-
 ditio prohibuit. Ad tantam malorum catervam,
 quæ cætera gravitate superarunt, cumuli instar
 accedebant bella civilia. Hæc autem contentio-
 nes de successione imperii præcipue excitabant.
 Ex quo enim Imperatorum electionem sibi arro-
 gare cœperunt milites, factum sæpe est, ut di-
 versi exercitus diversos quoque Imperatores crea-
 rent. Sic, qui post mortem Galieni exstiterunt,
 XXX numerantur tyranni. Quin etiam supersti-
 te adhuc Principe, in alios, unum vel plures pot-
 estatem supremam quandoque contulerunt rebel-
 les. Unde non potuerunt non gravissima certa-
 mina oriri, quibus ut cadmei fratres mutuis vul-
 neribus cadebant Romani. Hinc etiam factum
 est, ut disciplina militaris collabesceret; quum e-
 nim Principes militum studiis deberent imperium,
 penes quos erat, idem quando liberet, auferre,
 hos fortunæ suæ arbitros in officio continere non
 audebant. Sic, qui aliarum gentium dissidiis in
 suum incrementum ramdiu abusus fuerat, populus,
 ipse jam intestinis discordiis bellisque enervatus,
 exteris, invitante occasione certatim incurrenti-
 bus in prædam cessit, idque eo facilius, quia la-
 psu disciplinæ, ipsa quoque res militaris, præci-
 puum

puum Romanæ robur, majorem in modum decreverat. Communis quidem fert opinio, divisionem imperii a Theodosio factam, ejusdem interitum causatam fuisse; verum pars occidentalis Honorio attributa, major omnino erat, quam totum imperium, quò tempore Marius immensa Cimbrorum agmina delevit. Atque tanta jam erat ista moles, ut ab uno sustineri ægre admodum posset; quamobrem antea quoque in partes etiam minores non semel divisa fuerat. Per dictam itaque divisionem Theodosianam, si cætera recte se habuissent, itare utique potuisset Occidentale imperium; qua de re eo minus est dubitandum, quia Orientale, & illud quoque tot vitiis obnoxium, longo post tempore duravit.

TANTUM.

